Eminentiss:^{mo} *Et Reuer.*^{mo}

CARDINALI POLO

THESES PHILOSOPHICAS

D. D.

IO: BAPTISTA MAVRVS PATRITIVS SPOLETANVS

Publicè Defendendas in Coll. Spoletino Soc. IESV Anno 1643 Mense Decb. Die 14 Hora 21.

Professore P. Io: Bapta Grassetto Soc. Iesu

Anno Domini 1643.

EMINENTISS.MO ET REV.MO PRINCIPI

FAVSTO
CARD. POLO.

IO: BATISTA MAVRVS. F.

S*Acrę Purpurę Fulgor, qua nuper inclaruisti, me vtique deterruisset, ne Te meis adoptare Thesibus Patronum auderem, nisi illa ipsa, quę te purpura dignum reddidit, Virtus tua, me ad audendum excitasset. Quid ni verò audeam cui perspecta satis Humanitas tua sit? Illa nimirum Humanitas, quæ tibi persuadet, eò te, in hunc dignitatis gradum conscendisse, quò in Vniuersos per cunctos Beneficentiæ gradus descendas. Tum igitur existimas ab isto te non declinare Fastigio, cum ab ingenita Humanitate non declinas. Neque verò hanc ego, Meique omnes Beneficentiam tuam audiuimus tantum, sed sensimus, atque ità sensimus, vt in te domus, inclinata, recubuerit. Tuo extremis hisce annis Patrocinio res nostra stetit, qui non aliter nostra curasti, ac tua. Quarè hoc etiam nomine has Tibi Theses debeo, quo me ipsum etiam debeo. Cum enim nostra ad Te spectare, quæ Tua est Beneficentia, duxeris, ingrati planè simus, nisi in tua nos esse Potestate, censeamus. Hos igitur, quā-*

A tulos-

tuloſcumque fructus Ingenij, ac laboris mei, non tam ſponte offero, quam vt ex Agro Tuo ſuſceptos, tuo Tibi iure reddo. Vale.

Imprimatur

F. Ioannes Baptiſta de Rubeis Sacræ Theo. lector
Et Vic. Sancti offitij Spoleti, &c.

THESES LOGICAE

DE OBIECTO, ET NATVRA LOGICAE.

1. DARI Logicam, neque in dubium reuocare audemus. Eius inuentor verè, & propriè non fuit Aristoteles; nam ab Adamo ad eius Posteros eam peruenisse ex sacris litteris facile colligitur. Verum tamen est, illam in illis paulatim defecisse, Ipsumque Aristotelem post Democritum, & Platonem tãtum de suo addidisse, vt meritò illius inuentor ab aliquibus appelletur.

2. Logica multiplex est; alia enim est Naturalis, & alia Artificialis: alia Docens & alia Vtens: alia Vniuersalis & alia Particularis: alia Actualis, & alia habitualis. Ipsa (loquendo de Artificiali) est virtus solum secundum partem Analiticam, & secundum illam Partem, quæ docet modum soluendi fallacias: non autem secundum Topicam & Sophisticam. Eadem Logica est scientia partim practica, & partim speculatiua. Est vtilis, ac necessaria secundum quid ad scientias comparandas; non verò est necessaria absolutè, & simpliciter ad scientias partiales, sicut ad scientias totales perfectè acquirendas, in ordine ad quas se habet ipsa Logica, velut illarum instrumentum per modum regulantis.

3. Obiectum materiale proximum, & primarium Logicæ sunt omnes tres operationes intellectus. Obiectum verò formale illarum est ipsa dirigibilitas, cuius nomine non intelligimus ipsam capacitatem operationum ad recipiendam directionem, sed ipsam rectitudinẽ actuum inducendam in ipsas operationes, quæ non est ens rationis seu fictum, sed est ens reale. Quamuis autem (vt dictum est) bene possint assignari pro materiali obiecto Logicæ Operationes intellectus, & pro formali ipsa rectitudo putamus tamen melius, & probabiliùs assignari posse ipsum intellectum, vel Hominem tanquam obiectum materiale proximum & primarium: ipsas verò operationes rectas tanquam obiectum formale eiusdem.

DE VNIVERSALIBVS ET PRAEDICABILIBVS.

4 VNIVERSALE formaliter acceptum non datur à parte rei; sed solummodò per intellectum. Tam Vniuersale in essendo, quam in prædicando benè dicitur esse vnum & aptum esse in pluribus. Ad eius essentiam constituendam requiritur vnitas, & aptitudo: Vnitas in quam, non qualiscumque, sed vnitas simpliciter, quæ licet sit realis & non ficta, quale est ens rationis chimericum, tamen est extrinseca naturæ vniuersalis, sicut contra aptitudo eiusdem non est illi extrinseca. Essentia igitur vniuersalis non consistit in vocibus, neque in Ideis Platonis, sed in natura abstracta, vnitate, & aptitudine saltem radicali & remota.

5. Genus, quod à Prophyrio ponitur vt primum prædicabile, bene dicitur esse illud, quod prædicatur de pluribus differentibus specie in eo quod quid est. Qua in definitione definitur formaliter non sola denominatio extrinseca, idest ipsa cognitio abstractiua, sed definitur aliquod intrinsecum in subiecto, scilicet ipsa aptitudo subiecti, quod denominatur Genus.

6. Species, quæ est secundum prędicabile, prædicatur de pluribus differentibus numero in eo quod quid est. Prædicabilitas autem non est de essentia cuiuscumque speciei, neque subijcibilitas. Species in communi accepta, prout, videlicet, est communis speciei subalternæ & infimæ, est natura completa constans ex genere, & differentia.

7. Preter differentiam subalternam datur etiam differentia vltima. Vtraque simul benè definitur, cum dicitur esse id, quod prædicatur de pluribus differentibus specie, vel numero in quale quid. Proprium quarto modo habet perfectam rationem proprij & est id quod in aliqua specie conuenit omni, soli & semper. Proprium verò vt quartum prædicabile est illud, quod prædicatur de pluribus in quale necessariò, ad differentiam scilicet accidentis, quod vt quintũ prædicabile definitur esse illud, quod prædicatur de pluribus in quale cõtigenter. Differt etiã propriũ ab Accidente quod accidens potest adesse & abesse à subiecto absque ipsius subiecti corruptione, idest quantum est ex se, seu ex principijs intrinsecis eiusdem subiecti.

EX PRAEDICAMENTIS.

8. ENS reale in communi ſumptum, quod diuiditur in decem Prędicamenta, non eſt vniuocum, nec ęquiuocum, ſed analogum, eiuſque analogia non conſiſtit præcipuè in inequalitate, ſeu quod inæqualiter participetur à ſuis inferioribus, ſed in præciſione imperfecta ab illis.

9. Decem igitur ſunt predicamenta, nec plura, nec pauciora, prout aſſignantur ab Ariſtotele, & ratio eſt, quia ens quod in ipſa prædicamenta diuiditur, vel eſt ſubſtantia vel accidens. Subſtantia, cum ſit ſimpliciter ens, conſtituit primum Prędicamentum. Accidens verò, quia nouem modis afficit ſubiectum, in quo eſt, ideò nouem conſtituit Cathegorias, ſeu prædicamenta: ſi enim accidens eſt intrinſecum ſubiecto denominato, vel illud erit quantitas, quę eſt propria materiæ, vel qualitas, quæ eſt propria formæ: vel ſitus qui materiam, & formam afficit. Si autem accidens eſt extrinſecum ſubiecto denominato, vel erit locus extrinſecè ambiens, vel tempus commenſurans durationem rerum, vel habitus, qui corpus circumſtat, & contegit? Si denique accidens eſt partim intrinſecum & partim extrinſecũ: vel illud erit actio, que extrinſecè afficit agens & intrinſecè paſſum: vel erit paſſio quæ eſt intrinſecè in paſſo & connotat extrinſecè agens: vel demum erit relatio, quæ eſt intrinſece in ſubiecto & eſt ad aliud extrinſecum, nempe ad ſuum terminum.

10. Subſtantia alia, eſt Prima, & alia Secunda. Prima ſubſtantia eſt illa, quæ neq; in ſubiecto eſt, neq; de ſubiecto dicitur Eiuſq; nõmine intelliguntur indiuidua. Genera verò & ſpecies dicuntur ſecunda ſubſtantia, quæ de ſubiecto dicitur, ſed in ſubiecto non eſt. Huiuſmodi diuiſio ſubſtãtiæ facta ab Ariſtotele in Primam & ſecundam eſt diuiſio analogi in ſua Analogata, nec eſt facta ſecundum rationem eſſentialem ſubſtantiæ, ſed ſecundum rationem ſubſiſtendi per ſe, & ſecũdum rationem ſubſtandi aliis.

11 Summũ genus in prædicamẽto ſubſtãtię, nõ eſt ſubſtãtia vt cõmunis ſubſtantiæ creatæ & increatæ; Nihil enim cõmune vniuocũ datur Deo & Creaturis. Imò neque eſt ſubſtantia communis ſubſtantię completæ & incompletę, ſed eſt ſola ſubſtantia creata cõpleta, prout eſt communis ſubſtantiæ corruptibili, & incorruptibili materiali, & ſpirituali. Nomine autem ſubſtantiæ completæ

intel

intelligimus ens primò & per se intentum à natura explicatum concreto substantiuo.

12 Datur relationes tam prædicamentales, quam trascendentales. Hæ sunt essentiales rebus ipsis, quæ ad aliud referuntur, nec requirunt terminum actû existentem, sicut requirit relatio prædicamentalis: Cuius essentia non consistit in duobus absolutis, nec in solo fundamento, nec in aliquo modo distincto à fundamento & termino, sed in ipso fundamento & termino simul, accipiendo tamē illud in recto & hunc in obliquo.

13 Vna relatio fundat aliam, Non tamen multiplicatur numero ad multiplicationem numericam terminorum, sed semper remanet eadem secundum id, quod dicit in recto

EX LIBRIS PERIHERMENIAS.

14 SIGNVM duplex est, formale scilicet, & instrumentale, Formale est, quod non cognitum facit nos aliquid cognoscere, qualis est v. g. ipsa cognitio. Signum verò instrumentale est signum propriè dictum, & est illud, quod cum sit cognitum ipsum, facit etiam vt cognoscatur aliud, seu vt docet S. Augustinus, est illud, quod seipsum sensui, & præter se aliquid animo ostendit. Signum instrumentale aliud est naturale, vt fumus gemitus, &c. Aliud verò est ad placitum, cuiusmodi sunt voces humanæ articulatę, saltem quibus de facto vtimur.

15 Voces rectè dicuntur ab Aristotele esse earum, quæ sunt in Animo passionum notæ. Significant ex hominum impositione, & immediate ponuntur loco conceptuum mentalium, licet non immediatè eos significent, sicut significant immediatè res ipsas ad quas significandas sunt impositę.

16 Veritas alia est transcendentalis, & alia formalis seu Logica. Illa desumitur per conformitatem rei cum diuina cognitione. Hæc verò non consistit in conformitate obiecti ad seipsum prout est à parte rei, sed in conformitate ipsius cognitionis cum re prout est in se actu, vel potentia. Probabiliùs est huiusmodi veritatem formalem non esse aliquid absolutum distinctum ab ipsa cognitione, neque esse relationem prædicamentalem realem, vel rationis: sed esse ipsam cognitionem, quatenus connotat obiectum ità se habere; sicut repræsentatur. In propositionibus etiam de futuro cōtingenti

tingēti, & libero altera nunc est determinatè vera: altera determinatè falsa.

EX LIBRIS PRIORVM,

ET POSTERIORVM.

17 BENE definitur ab Aristotele syllogismus illis verbis est oratio, in qua quibusdam positis alterum quid à positis necesse est contingere eo quod hæc sint. Syllogismi nomine intelligitur simpliciter loquēdo totum constatum ex premissis & cōclusione.

18 Demostratio, seu vt idem ait Aristoteles, Demonstratiua sciētia est illa, quam necesse est esse ex veris, & primis, & immediatis, & notioribus & prioribus, & Causis Conclusionis. Precognita necessaria ad ipsam demostrationem sunt tria, scilicet subiectum, prædicatum conclusionis, & medius terminus. Præcognitiones verò sunt duæ; nempe quid sit, & an sit. Duplex est demonstratio, propter quid scilicet, & quia. Et differunt specie inter se propter fines, videlicet, specie diuersos, qualia sunt, scire rem à priori seu per causam, & scire à posteriori, seu ab effectu, & tamquam à signo. Datur regressus demostratiuus, per quem ex passione probatur essentia à posteriori, & deinde per essentiā probatur passio à priori, neque ex hoc sequitur vllum absurdum.

19 Quod attinet ad scientiam. Primò falsum est omninò, nullā dari scientiam, vt volebant antiqui illi Accademici, cōtra quos arguit Aristoteles, Neque est sola reminiscentia eorum, quæ prius sciuimus, vt asserebant Pythagoricam Animarum transmigrationem Admittentes, Sed datur de nouo scientia actualis, & rectè definitur ab Aristotele. Cognitio intellectiua rei per causam propter quā res est, itaut non contingat aliter se habere. Secundo scientia alia est subalternata & alia subalternans. Sub alternata est illa, cuius principia probantur à subalternante; à qua si omnia principia probentur, illa erit omninò subalternata: si autem solum aliqua, erit sublaternata partialiter tantum. Tertiò non potest simul stare in eodem intellectu actus scientię, & oppinionis circa idem obiectum tam materiale quam formale, & circa eandem conclusionē, si videlicet illa oppinio habeat actualē formidinē de opposito. Possunt tamē esse in eodem intellectu simul actus scientiæ & opinionis cum sola radicali formidine circa idem obiectum materiale per diuersa media. Quartò pręter scientiū actualē datur etiam habitualis.

THE

TESES PHYSICAE.

DE PHYSICAE NATVRA ET OBIECTO.

20 PHysica, seu naturalis Philosophia est scientia speculatiua, quamuis de rebus disputet generabilibus, & corruptibilibus. Licet sit nobilior quoad obiectũ, quam mathematica; non est tamen nobilior, quam Metaphysica.

21 Ens mobile, substantia naturalis, Corpus mobile, possent benè assignari pro Obiecto Physicæ primario. Melius tamen assignatur idem obiectum sub corporis naturalis nomine, sub quo non sola corpora corruptibilia comprehendimus, sed etiã incorruptibilia. Reliqua, verò, quæ in Physica considerantur, vt sunt accidentia, materia, forma, & compositum accidentale ad eam pertinent tanquam obiectum secundarium, non primarium.

DE PRINCIPIIS RERVM NATVRALIVM.

22 TRIA necessario dantur intrinseca rerum naturaliũ principia in fieri: Non tamen plura requiruntur: Et ea sunt, Materia, Forma, & Priuatio, quæ benè inuestigauit Aristoteles ex transitu, seu transmutatione naturali substãtiali, ac rectè illa sub vna ratione Principij analogica definiuit, dicens, Oportet Principia neque ex alterutris esse, neq; ex Alijs, sed ex his õnia. Et sẽsus est. Prĩcipia sũt illa, ex quibus tãquã ex elemẽto materiali permanente vel transeunte fiũt õnes res naturales. Ipsa verò Principia neque ex Alijs, neque ex se inuicem fiunt, vt res naturales. Duo tantum sunt Principia intrinseca rei naturalis in facto esse, nempe Materia & Forma. Quæ duo Principia, sicut etiam Priuatio sunt aliquo modo priora Principiato.

23 Datur Materia Prima, quæ habet propriam existentiam distinctam ab existentia formę. Non est autem ex se Corpus seu Corporea per aliquam formam corporeitatis sibi coæuam, vt volebat Auicenna; Neqnè est Corpus trinæ dimensionis, seu Corpus

Mathe

Mathematicum, vt affirmabat Philoponus; sed est substantia simplex imperfecta, & benè definitur ab Aristotele esse primum subiectum Vniuscuiusq; ex quo fiat aliquid cum insit, non secundũ accidens, & si corrumpitur aliquid, in hoc abibit vltimum.

24 Eadem materia est ingenerabilis, & incorruptibilis, nec potest naturaliter existere spoliata omnì forma: Potest tamen id supernaturaliter fieri Realiter loquendo eadem est Potentia passiua Materiæ in ordine ad formas substantiales, & in ordine ad quãtitatem: nec talis potentia realiter distinguitur ab ipsa materia, sicut distinguitur eiusdem Potentia in ordine ad reliquas formas accidentales. Si loquamur autem de potentia Materiæ in ordine ad Formas corruptas, quamuis detur in ipsa potentia obedientialis, non tamẽ datur potentia naturalis in ordine ad formas corruptas vt corruptas seu vt secũdo producibiles; sed solũ datur in ordine ad easdem formas corruptas vt primò, seu vt semel producibiles. Denique Ipsa Materia est vna specie, non multiplex in rebus sublunaribus, & habet appetitũ innatum ad formas, quas habere potest.

25 Forma, alia est Assistens, cuiusmodi sunt Intelligentię Motrices Cęlorum, Angeli in corporibus ex aere assumptis, & Mali Spiritus in Energumenis, Alia verò est forma informans, & hæc duplex est Substantialis s. & accidentalis. Substantialis item duplex est Altera videlicet Spiritualis, qualis est Anima rationalis; Altera verò Materialis, qualis est quæcunque forma educta ab Agẽte naturali de potentia Materiæ. Datur igitur Forma substantialis informans, quæ benè dicitur ab Aristotele esse ratio Ipsius, quod quid erat esse. Non tamen ipsa est tota quidditas, seu essentia compositi substantialis, licet constituat illud in tali esse determinato.

26 Priuatio, quatenus non est ens fictum ab intellectu, potest dici ens reale, ac bene eam definit Aristoteles 5º Met. dum ait, Priuatio dicitur, si non habeat Aliquid eorum, quę apta sunt haberi; Vndè aliquid plus dicit Priuatio supra Negationem, nempe subiecti aptitudinem; ex cuius defectu non benè lapis dicitur cæcus vt dicitur Homo. Demum si consideretur Priuatio, quatenus est Principium, ipsa principiat, quando primò non est.

DE NATVRA ET ARTE

27 NATVRAM, benè describit Aristoteles dum ait, Natura est Principium & Causa Mouendi, & quiescendi eius in quo

est

est primo, & per se, & non secundum accidens, Adæquatè ipsa diuiditur in materiã, & formam; licet hæc forma sit magis natura, quam materia; quę, sicut secundũ se considerata, est solum natura in potentia; ita prout est pars actualis alicuius determinati cõpositi naturalis est actù & propriè natura. Excluduntur Ergo Angeli à ratione Naturæ, Corpora simplicia, si dantur, Accidentia, & similia, quibus non potest benè applicari prædicta definitio Naturæ.

28 Ars Est quædam Qualitas, seu quidam Habitus, per quem Potentia Intellectiua redditur prompta & facilis ad eliciendos actus regulatiuos operis faciendi. Ars & Natura in multis conueniunt, & in multis differunt. Si loquamur de vi, & virtute propria eiusdẽ Artis, Ipsa potest concurrere instrumentaliter ad effectus naturales quo ad modum, idest, vt fiant hoc illo modo. si autem loquamur de vi; seu virtute aliena, dicimus, per alienam vim, non propriè; Sed applicando actiua passiuis, Artem non solum multos effectus inanimatos vt aurum, sed etiam aliqua Animalia producere posse.

DE CAVSIS.

29 CAVSA in communi accepta rectè dicitur, esse id, per quod respondemus Interoganti, propter quid res est. Multiplex est eius diuisio; Alia enim est Causa Vniuersalis, & alia Particularis. Alia est causa per se, & Alia per accidens. Alia est Principalis, & alia Instrumentalis. Alia Libera, & alia Necessaria. Alia Vniuoca, & alia Aequiuoca. Alia Naturalis, & alia Moralis. Alia in potentia seu in actu primò, & alia in actu secundo seu actualis. Alia Totalis siue Adæquata, & alia Partialis seu Inadæquata. Alia Proxima & alia Remota. Denique alia est Materialis, alia Formalis, alia Efficiens & alia Finalis. Hęc quatuor vltima Causarum Genera particulares habent differentias; per quas à meris conditionibus differunt.

30 Aliqua Causa potest causare effectus oppositos: Non tamen Causa formalis intrinseca. Et eadem res potest exercere munus plurium Causarum non solum respectu diuersorum effectuum, sed etiam respectu eiusdem. Verum est tamen, non posse eandem rẽ exercere munus causæ materialis, & formalis: neque munus efficientis simul & formalis respectu eiusdem. Quod autem pertinet ad mutuam rerũ causalitatem, absolutè negamus, eam posse dari inter causas causantes secundum realem existentiam tam in

eodem, quam in diuerso genere.

31 Causæ Materialis definitio, qua dicitur, esse id, ex quo fit Aliquid, cum insit, bona est. Ipsius virtus causatiua in actu primo est potentia essentialis eiusdem. In actu autem secundo per substẽtationem, tamquam per suam Causalitatem, formam causat materialem substantialem, Vbi, &c.

32 Datur à parte rei Causa formalis, ac rectè dicitur esse ratio ipsius quod quid erat esse. Et sensus est, quod forma sit ratio vltimò cõstituens rẽ in esse naturali. Eadem forma non est causa Materiæ secundum realem existentiam, sed solum per vnionem causat illã impropriè, in ordine ſ ad faciendum compositum. Deus non potest supplere defectum Causæ materialis vel formalis formaliter & propriè, sed solum efficienter.

33 Vnio, quæ est causalitas Materiæ, & formæ in ordine ad Compositum est modus substantialis distinctus ab illis, & rectè dicitur esse vinculum intrinsecum actus, & potentiç in ordine ad faciendum vnum per se, idest vnũ Compositum substantiale, ad quod constituendũ non requiritur duplex, sed sufficit vnica tantum vnio Neque est necesse, vt talis vnio sit spiritualis, quando altera Compositi Pars est spiritualis; defacto enim in Homine Vnio est Materialis & diuisibilis extensiuè, licet subiectetur tã in materia, quã in forma spirituali. Partes denique vnitæ, collectiuè acceptæ & simul sumptæ non distinguuntur à Toto, seu Composito,

34 Causa Efficiens secundum Aristotelem est id, vnde est primum principium mutationis & quietis. Eius causalitas est Actio, quæ rectè dicitur esse actus in hoc prout ab hoc ad differentiam scilicet Passionis, quç est actus ab hoc prout in hoc: Et ideo actio & passio distinguuntur non realiter, sed solum formaliter. Effectus Causæ Efficientis est compositum, vt finis vltimatus: Forma verò, & Vnio tanquam terminus non vltimatus, Eadẽ actio est modus realiter distinctus ab vtroque termino. Quod si sub conceptu analogo Actionis comprehendatur etiam Creatio, tunc Actio nõ petit subiectum inhæsionis sed solum adhæsionis.

35 Melius dicitur, Causa instrumentalis est illa, quæ agit non per virtutẽ propriã & sibi debitã sed per virtutẽ acceptã ab alio quã si alio modo describatur. Accidens nõ est Causa adæquate productiua substantiæ, imò si propriè loquamur & in rigore, neque est Causa Instrumentalis illius; sed sola substantia est Causa adæquatè productiua alterius substantiæ, sicut Accidens vniuersaliter loquẽdo est Causa Principalis adæquatè productiua alterius Accidẽtis; Nõ negamus tamen, aliquado Accidens produci ab ipsa substãtia,

36 Dari

36 Dari Vnam Primam Causam, non solum patet ex fide sed etiam ratione naturali probari potest. Eaque concurrit immediatè ad omnes, & singulos effectus Causarum secundarum, non Solum in prima eorum productione sed etiam in conseruatione. Quinimò Causa Prima, & secunda concurrunt eadem indiuisibili actione, dum simul causant effectum naturalem, Eadem Causa secunda non potest naturaliter creare, potest tamen id facere, vt instrumētum eleuatum per potentiam obedientialem.

37 Non solum datur Causa Libera, idest illa, quę positis omnibus requisitis potest operari & non operari, qualis est Deus, Angelus, & Homo, Sed etiam Causa necessaria, quę s. positis omnibus requisitis ad operandū, non potest nō operari, cuiusmodi est in Aristotelis sentētia quælibet Creatura, quæ sine vsu rationis operatur.

38 Idea, seu Exemplar absolutè & in rigore loquendo consistit in conceptu obiectiuo, seu Cognitionis obiecto: Huic enim propriè conuenit Ideæ definitio ab Aristotele tradita, vt sit id ad cuius similitudinem, seu ad quod inspiciens Artifex operatur.

39 Finis, seu Causa Finalis est id, cuius gratia, seu propter quod cætera fiunt; & duplex est. Alius enim dicitur Finis Cui, & alius finis cuius gratia Finis Cui solitariè acceptus nō est propriè Causa Finalis; sicut est Finis Cuius gratia, cū ordine tamē ad finē Cui. quia hac ratione vtrique simul sūpto cōuenit illa pricipalis Finis proprietas, vt scil. sit primus in Intentione, & vltimus in executione. Finis item alius dicitur Qui, seu obiectiuus, & alius dicitur Quo seu Formalis Primus est illa bonitas, seu illud bonum, quod alicui volumus secundus vero est adeptio, seu possessio talis boni. Finis qui non causat, nisi vt possidendus; Nemo enim amat pecuniam v. g. in abstracto. Finis vltimus simpliciter est solus Deus, Finis verò vltimus secundum Quid potest esse quælibet Creatura.

40 Causalitas finis est actio Externa, qua res fiunt. & interna volitio ordinans, seu imperans illam propter ipsum finem amatum. Effectus finis propriè sunt media ordinata ad cōsequutionem illius, & ipsa quoque actio externa, qua fiunt Media: Ipsa verò mediorū electio & ipse finis, qui de facto efficitur amedijs non est propriè effectus finis, sicut neque Amor, Desiderium, & fruitio eiusdem. Nō solum Deus agit propter finem, sicut etiam Angeli & Homines, sed Agentia quoque non intellectualia, imperfectè tamen & minus propriè.

41 Fatum, quod à fando, seu loquendo dicitur, datur à parte rei, si videlicet sumatur pro illo, quod à Boëtio dicitur, esse inhærens


rebus

rebus mobilibus immobilis Dispositio per quam Diuina Prouidentia suis quæq; nectit ordinibus ; seu vt Alij dicunt sumatur pro eo , quod est ordo Causarum secundarum Diuinam Prouidẽtiam exequentium. Datur etiam Casus & fortuna , quæ sunt Causæ per accidens effectuum rarò contingentium in Agentibus propter finem. Differunt autem inter se, quod Fortuna procedit ex electione : Casus vero minimè. Monstrum est effectus Causę per accidens,quæ multiplex esse potest ex multiplici defectu, vel in virtutè formatrice Animalis : vel in Matris receptaculo ; vel in Complexione qualitatum : vel in aeris salubritate & sydecum influxu : vel in apprehensione vitiata Genitorum &c.

DE PROPRIETATIBVS CORPORIS NATVRALIS.

42 MOtus ab Aristotele rectè dicitur esse actus entis in potẽtia ,prout in potẽtia & accõmodari potest Motui successiuo,& Instantaneo . Quadruplex est species motus:Motus scilicet ad substãtiã, qui est Generatio : Ad quantitatem , qui est Augumentatio . Ad qualitatẽ, qui est Alteratio : Ad locum , qui est motus localis.Proprie tamen ad tria tantum Prædicamẽta datur motus propriè dictus, nempe ad quantitatem , qualitatem & locum . Motus sumit suam vnitatẽ per ordinem ad terminum ad quem . Aliquando verò specificatur etiam à modo tendendi .

43 Locus, qui est terminus motus localis , est superficies corporis continentis immobilis . Motus verò localis est operatio recepta in mobili , & secundum eius varias partes , vnam post aliam, Mobile continuò applicatur diuersis partibus loci . Deus non est in loco nec circumscriptiuè , nec definitiuè , sicut neque in Eucharistia Corpus Christi Domini propriè loquendo . Angeli sunt in loco definitiuè. Elemẽta verò & Aliæ res materiales sunt in in loco circũscriptiue , sicut etiã Cœli õnes præter Cælũ Empyreũ,precipuè si hoc consideretur secundum totum. Vbi seu Vbicatio,quæ est ratio formalis essendi in loco datur, & est aliquod superadditũ loco & locato. Aliud est circũscriptiuũ,& aliud definitiuũ & aliud est permanens, & aliud successiuũ. Singula, quę sunt in composito habent proprium Vbi . Non potest idem esse naturaliter in pluribus locis, & propter hanc Causam non potest idẽ moueri duobus motibus contrarijs , Potest tamen supernaturaliter



s di-
x eo-
Cor-
m eſt
AST Ramē
s. ,&

um
erni-
t in-
m ab
ne-
t fi-
dus
r ab
acio
e ne
ito,

uã-
gu-
ba-
for-
e ad
nõ
cõ-
en-

Lo-
ud
um
a-
n-
a-

e-
ni-

mæ animatum est, nec mouetur à propria Forma, sed effectiuè mouetur ab Intelligentia Assistente. Agit in hæc Inferiora per motum, & lumen, & probabile etiam est agere per occultas influentias; Non tamen agit directè in Animam rationalem, sed indirectè & per accidens. Atque inde est, vt Astrologi successus contingentes, qui ad humanam pertinent voluntatem, certò prænoscere nequeant. Astra Cœli quamuis multum luminis à Sole participient; aliquid tamen luminis habere etiam ex se arbitramur. Non solum lumine fidei; sed etiam ratione naturali probari potest Mundum hunc ex nihilo esse procreatum ab Alio. Cæpit igitur in tempore, & falsum est ipsum esse potuisse ab æterno vt volebat Aristoteles.

DE ELEMENTIS.

48 ELEMENTVM est id, in quod cætera Corpora diuiduntur, in quibus inest, aut potentia, aut actù: Ipsum autem est indiuisibile in specie diuersa, & quadruplex est nempe Ignis Aer Aqua, Terra, quorum quolibet corpus simplex est & substantiale, compositum ex materia & forma. Probabilius Nobis videtur, nullum exijs manere formaliter in mixto, licet exijs, sicut etiam ex Mixto, deturmistio, quæ rectè dicitur esse miscibilium Alteratorum vnio, i. transitus Elementorum ad formam mixti. Elementa sunt inuicem transmutabilia: facilius tamen, & citius transmutantur in symbolum, quam in dissymbolum.

49 Quatuor sunt primæ Qualitates, Calor, scilicet, & Frigus, Humiditas, & Siccitas. Quas definiuit Aristoteles in concreto dicens. Calidum est quod congregat homogenea, & heterogenea disgregat. Frigidum, quod congregat homogenea, & heterogenea simul, Humidum, quod est interminabile termino proprio, & facilè terminabile termino alieno. Siccum denique, quod est difficilè terminabile termino alieno, & facilè proprio. Hæ primæ qualitates sunt actiuæ Verum tamen est, Calorem & frigus esse qualitates magis actiuas quam humiditas & siccitas, quæ ab Aristotele appellantur passiuæ, vel respectiuè ad alias duas magis actiuas, vel quia explicantur per passionem idest per Terminabilitatem & Accommodationem. Ex prædictis primis Quali-

lita-

militatibus Igni conueniunt calor, & siccitas. Aeri calor, & hu- ditas. Aquæ Humiditas & Frigiditas. Terræ frigiditas & siccitas.

50 Naturaliter repugnat Actio in distans, & necessario requiritur contactus inter Causam & Effectum: non tamen est necessarius contactus immediatus immediatione suppositi, sed sufficit contactus immediatus immediatione Actionis. Idem non potest agere in seipsum actione perfectiua vniuoca: sicuti potest actione corruptiua æquiuoca. Totum Heterogeneum ratione partium seipsum potest corrumpere & destruere; non tamen vna pars alicuius totius homogenei potest agere actione corruptiua æquiuoca. Totum Heterogeneum ratione partium seipsum potest corrũpere & destruere, non tamen vna pars alicuius Totius homogenei potest agere actione corruptiua in Totum, cuius ipsa est pars Nec simile potest agere in simile in eo, in quo ipsa similia sunt. Ad hoc vt Agens agat in Passum deberet habere maiores vires ad agendum, quam Passum ad patiendum. Verum est tamen, quod omne Agens agendo repatitur: quare non solum dantur Actio & Passio, sed etiam reactio & repassio secundum contrarietatem eandem.

51 Datur Intensio, idest Actio, qua perficitur qualitas circa idem subiectum, seu qua subiectum fit magis calidum, frigidum &c. Talis autem Intensio non fit per solam expulsionem Contrarii, neque per maiorem radicationem eiusdem gradus, sed per additionem gradus ad gradũ, itaut adueniente verbi gratia secũdo nõ deperdatur primus &c. Quibus suppositis eosdem gradus esse, homogeneos, non heterogeneos, existimamus. Datur etiam Alteratio, quæ rectè dicitur esse transmutatio in passionibus contrarijs, aut medijs, manente aliquo sensibili, vt subiecto eodem. Differt igitur Alteratio ab Augumentatione, quod hæc sit motus ad quãtitatem: Illa verò ad qualitates.

52 Conueniunt quoque Elementis Virtutes Motiuæ, nimirum Grauitas, & læuitas Grauitas simpliciter conuenit Terrę. Leuitas simpliciter conuenit Igni Grauitas secundũ quid cõuenit Aquę, & Leuitas secundum quid conuenit Aeri. Has etiam definit Aristoteles inconcreto, dum ait. Graue est quod ferri natum est ad medium. Leue autẽ, quod à medio. Grauissimũ, quod õnibus substat, quæ deorsum, feruntur. Leuissimum, quod omnibus supereminet. Primum conuenit Aquæ: secundum Aeri. Tertium Terræ. Quartum Igni. Hæ prædictæ Virtutes non solum distinguuntur, a Formis substantialibus elementorum; sed etiam specie

cie distingnuntur inter se, & probabile etiam est, distingui easdē Virtntes à Combinatione Primarum qualitatum..Elementa in suo naturali loco constituta, neque grauitare, neque leuitare, probabilius esse ceusemus.

DE ANIMA IN COMMVNI.

53 DARI Animam, adeò certum est, vt Aristoteles potius illā supponat, quā probet. Nō defuerūt tamē Aliqui ex Antiquis, qui dixerunt, nihil eam omnino esse, nisi Nomen Inane. Sed istis opponendus est S. Augustinus dicens, qui se animam habere non cognoscit, nescio an habeat. Nec sequimur eorum opiniones, qui dicebant, animam esse Aliquod concursu fortuito conflatum corpusculis insectibilibus, vt Democritus, nec esse Exalationem calidam, vt Heraclitus, nec esse aerem, vt Diogenes, nec esse Sanguinem, vt Critias, nec Elementorum temperaturam, aut primarum qualitatum temperamentum, vt Empedocles, & Galenus arbitrati sunt. Sed cum Aristotele dicimus, Animam esse actum primum corporis naturalis organici potentia vitam habentis; vel esse id, quo viuimus & sentimus, & mouemur, & intelligimus; Vtraque enim descriptio bona est ac bene explicant Animæ essentiam: illa scilicet per causam: Ista verò id est secunda per effectus, & proprietates.

54 Triplex assignari solet Anima, Vegetatiua scilicet sensitiua, & Intellectiua. Non negamus tamen assignari posse plura Animarum genera, sed, vt breuior fiat diuisio, habetur solum respectus ad pręcipuas Viuentis Operationes, nempè Vegetationem, sensationem, & Intellectionem. Neque verum est Plantas habere sensum, vt Plato opinabatur, neque propriè flent arbores, vt dicebant pithagoræi, dum gladio, aut securi percussæ guttas quasdā emittunt. Viuunt tamen proprie licet propriè appetitum non habeant. Animatorum seu Viuentium genera quatuor assignari possunt, nēpè Vegetatiuū, Sēsitiuū Locomotiū, & Intellectiuū: Generales verò Animæ Potentiæ assignari solent quinque, nimirum, Vegetatiua, sensitiua, Intellectiua, Appetitiua, & Locomotiua.

55 Anima igitur non est accidens, sed substantia, & loquendo de Rationali est forma substantialis informans, & indiuisibilis, quāuis Aliæ diuisibiles sint in partes integrantes, vt patet in Plantis,

lacertis &c. Quæcumque Anima est Principium vitæ. Vita autē duplex est; substantialis scil. & accidentalis. Substantialis non distinguitur ab ipsa Anima, est id, à quo, vt à principio emanāt operationes, & actiones vitales. Accidentalis Verò Vita sunt ipsæ met operationes. Viuentia differunt à non Viuentibus ex eo, quod propriè moueantur ab intrinseco. Si nomine motus intrinseci intelligantur etiam motus intentionales, ideſt Intellectio & Volitio diuina &c. demptis imperfectionibus &c. non solum datur aliquod commune omnibus Viuentibus Creatis, sed etiam potest assignari aliquod Commune analogicum Viuenti Increato, & Creato, Vita diuiditur etiam in Vitam in actu primo, & in Vitam in actu Secundo Vita in actu primo est ipsum principium actus Secundi ideſt operationis vitalis, & duplex est tale Principium, Radicale scilicet, & Formale. Radicale est ipsa Anima. formale verò sunt Potentiæ eiusdem

56 Ex his colligimus, Cognitionē, qua Angelus cognouit seipsū vel Diuinā Essētiā in primo īstāti suæ Creationis fuisse actū vitalē, Productio autē Vbicationis rei prò primo īstāti in quo ipsa res producitur, non est vitalis, sicut neque vllus motus, qui est ad proprietates, quatenus talis motus est ab extrinseco, & pertinet ad Agens extrinsecum; nā qui dat esse, dat consequentia ad esse. Potentiæ Animæ, nimirum Nutritiua, Augumentatiua, sensitiuā, Intellectiua, Volitiua, sensationes, tā interni, quā externi sunt vitales per modū actus primi. Nō sic autē Species intentionales, neq; habitus naturales, supposito quod isti Sint indistincti ab illis, quia species huiusmodi tenent se ex parte obiecti extrinseci. Immò nec Habitus supernaturales sunt vitales per modum actus primi, quia non sunt naturaliter debiti, nec sunt iuxta Inclinationem naturalem suppositi, quod est Principium vitæ radicale.

DE CORPORE ORGANICO.

57 IVXTA S. Gregorij Nysseni, S. Thomæ & Aristotelis doctrinam non solum Anima in ordine ad Corpus se habet, vt forma & finis, sed etiam tamquā Ars & ideo ad vitę munera obeunda quibusdam indiget organis, seu istrumentis. Diuersitas tamen partium organicarum non habetur ab ipsa Anima: accidentalem enim esse putamus talem diuersitatem, non substantialem. Supra ipsas partes corporis organicas COR Principatum tenet, cuius

ma-

materia eſt denſa, & ſolida. Figura eius eſt quaſi pyramidalis, quia in medio pectoris ſitum eſt ipſum Cor tanquam Pyramis inuerſa, ſeu inſtar Nucis pineæ, anterius & poſterius compreſſæ, vt ait Veſalius. Duos Sinus, ſeu Ventriculos habet: quorum Primus, in dextero conſiſtens latere, maior eſt, atque inſeruit ad recipiendũ ſanguinem ex Iecore per Venam Cauam immiſſum: Alter vero, qui in ſiniſtro latere reperitur, minor eſt, & inſeruit ad efformandos ſpiritus vitales, eoſque immittendos ad pulmones aliaſque Corporis partes, vel per Artheriam, venalem, vel per Artheriam magnam. Habet denique ſua Orificia prædictis ſinibus, ac Venis conreſpondentia, & quatuor membranas, quæ, vt idem Veſalius docet, ſunt à Natura veluti præfectæ ijſdem Orificijs, nè Cordis labor irritus fiat. An Cor primo generetur dubiũ eſt: vltimò autem deficere tamquam certum tenemus. FEBRIS in corde reſidet, vnde rectè dicitur eſſe Cordis infirmitas. Illi, quibus Cor grandius ineſt, ſunt timidiores: qui illud piloſum habēt, fortiores ſunt. I R A demum eſt Inflammatio ſanguinis circa Cor, quia dum Homo vehementer iraſcitur, ſanguinis circa Cor efferueſcit, & ex hoc feruore excitatus ſanguis purior ad ſuperiores partes aſcendit, &c. Cordi refrigerando inſeruiunt P V L M O N E S, quorum ſubſtantia, eſt leuis, rara, atque ſpongioſa: Figura verò eorundem, vt ait Hippocrates, eſt Teſtudini ſimilis. Situm habent in vtraque Thoracis amplitudine: Non ſolum enim refrigerationi Cordis tamquam Flabella inſeruiunt, ſed etiam ad aeris præparationem, & Vocis efformationé: Vnde Animalia, quæ pulmone carent, vocem non edunt.

57 C E R E B R V M & ſi aliorum Membrorum Corporis Princeps non ſit: Ad huiuſmodi tamen Principatum proximè accedit. Mollis eſt Cerebri ſubſtantia atque alba ratione materiæ ſpermaticæ, ex qua conflat. Figura eius figuram Capitis vel interioris Cranij imitatur, ac exprimit. Magnitudo verò eiuſdem ingens eſt adeò, vt vnicum Hominis Cerebrum duobus Boum Cerebris grandius ſit. Duas item in partes diuiditur, Anteriorem ſcilicet, & Poſteriorem. Anterior Pars quia decuplò maior eſt, quam poſterior, dicitur proprie Cerebrum, occupat totum, ſinciput ideſt partem Capitis anteriorem, & ſuperiorem. Poſterior autem Pars, quæ decuplò minor, eſt vocatur Cerebellum, & occupat partem Capitis poſteriorem, ideſt Occiput. Diuiſum

est Cerebrum, vt probabiliter arguamus, ad maiorem Ipsius leuitatem, & faciliorem Nutritionem, atq; obeandem Causam plurimis affectum est à Natura āfractibus, seu gyris & circum volutionibus. Non solum externe Capillis, pelle, & osse, idest Cranio, sed duabus etiam operitur membranis, quarum prima & crassior, dura Mater: Altera verò subtilior, pia Mater nuncupatur. Sui non desunt Cerebro Ventriculi seu sinus, in quibus quidam seruatur aqueus humor ad refrigerandos, & actēperandos spiritus vitales, qui à Corde ad ipsum cerebrum ascendunt. Ad inspirationē efficiendam, odoresque suscipiendos duo dantur Processus mammillares, qui à prædictis Ventriculis ad narium ossa cribri instar perforata, descendunt, atque per illa non solum aer, & odorum species ad ipsum Cerebrum transuehuntur: sed etiā eius mucosa emittitur eluuies ad nares. Tertius sinus à Galeno Venter medius appellatur, vel quia inter duos superiores & quartum Inferiorem situs est, vel quia Cerebri Centrum ferè occupat; Tātū enim ab Occipite distat, quantum à sincipite seu osse Frontis. Quartus sinus est latior & paulatim restringitur ità vt in acumen desinat ad instar calami scriptorij, atque, vt notat Valuerdius, quandam in se continet aquam, & non solum differt ab Alijs figura & situ; sed etiam, quia nulla coopertus est mēbrana, sicut illi.

59 IECVR, quod est Alterum præcipuum Animati Corporis Mēbrum, græcè HEPAR nūcupatur, Quoad eius magnitudinem per quam amplum est. Quoad figuram autem licet non vnam habeat; magis tamen ad figuram rotundam accedit. Quoad situm verò ipsius, dextero consistit in latere. Natura sua sanguineū est, ac molle, nec non quadā obductū est membrana, atq; costis aliqua ex parte circumtectum. Iecoris munus est Chylum ex Ventriculo transmissum decoquere, donec sanguineum reducatur in Humorem, seu in sanguinem imperfectum, à quo reliquos sæparat humores. Nam FLAVABILEM in Fellis folliculum per quasdam transmittit venulas, & per alias ATRAMBILEM ad Lienem: PITHVITAM verò ad vasa sanguinis & ad cerebrum: Id tamen non fit absq; earumdem partium Virtute attractiua Probabilius est, perfectum sanguinem in eo non gigni, sed in Corde: ex quo etiam probabilius est oriri VENAS, quarū omnium est ferè impossibilis enumeratio: Tres tamen, vel Quatuor Principaliores communiter enumerantur, nimirum Vena Meseraica, Vena Caua Vena Artherialis, & Vena Vmbilicalis. MESERAICA dicitur etiam VENA PORTA quia per

illam

illam veluti per portam ingreditur nutrimentum immiſſum ad Iecur ex ſtomachi Ventriculo. CAVA eſt alia, Vena magna, per quam ad primum Cordis Ventriculum immittitur ex Iecore ſanguineus ille humor, ſeu ſanguis imperfectus. ARTHERIALIS eſt illa Vena, quæ e ſinu cordis maiore in totam Pulmonum ſubſtantiam diſtribuitur, ad illos ſanguinem immittens puriorem. VMBILICARIS denique vena ad Vmbilico ad Iecur procedit, ibique inſeritur venæ Portæ, atque inſeruit ad enutriendũ fœtum Materno in Vtero exiſtentem.

60 SPIRITVS NATVRALES propriè loquendo non dãtur ſicut dãtur SPIRITVS VITALES, & ANIMALES. Illi in ſecundo Cordis ventriculo efformantur: Iſti verò ex eodem cordis ſinu ad Cerebrum aſcendentes, dum eius frigore actemperantur, Animalium nomen ſortiũtur. NERVI, qui quam plurimi dãtur humano in Corpore, ſecundum Ariſtotelis doctrinam originem ducũt à Corde: ſecundum tamen Hippocratẽ, & Galenum cum communi Medicorum & Anatomiſtarmm ſententia, non à Corde, ſed à Cerebro, ſiue ab Ipſius medulla emergere dicendi ſunt STOMACHI VENTRICVLVS qui inter Iecur. & Lienem repoſitus eſt rotundam habet figuram, atque oblongã inſtar Cucurbitæ aut Barbitij Paſtoritij; Amplior tamen eſt in ſiniſtra Corporis ſede, quam in dextera. Eius ſubſtantia membranea eſt duabus quoq; tunicis ad diſtentionem, & contractionẽ idoneis; tertio quodam inuolucro, Venarum atq; artheriarum ſurculis penè innumeris, nec non ampliſſimis neruis eformata eſt. In hoc Ventriculo Cõtrix facultas inſidens toto conatu in alimenti ſibi cõmiſſi decoctionem incũbit, tum ingenito ſibi calore ac Spiritu: tum calore, quem vicinæ Partes tamquã ſubiectus ſeu circumiectus ignis, ei conferunt, donec alimentum illud in maſſam quam dam Cremoris inſtar albam, & candidam, quę CHYLVS à medicis appellatur, immutet. LIEN aliud Viſcus eſt, & in Hypocõdrio ſiniſtro ex aduerſo Iecoris ſitũ obtinet Eius ſubſtantia eſt ſolidior ſpongiæ aut leuioris pumicis ſimilitudinẽ referens: rara item eſt, fungoſa & ſoluta, vt aptior ſit ad hauriẽdas & excipiendas Hepatis fæces, quas ad Ventriculi fundum per quoſdam meatus remittere ſolet, FELLIS Veſicula, fellcũ ſcilicet continens humorem ſub infima Hepatis parte locum habet. Eius ſubſtantia membranea eſt vt facilius contrahi, diſtendique poſſit: Figura verò oblonga atque rotunda. Felle non omnia Animalia prædita ſunt: nam Cerua, Caper, Camelus, Delphinus, & alia felle carent. OSSA demum ſunt Animantis partes

tes

tęs duriſſimæ, ſicciſſimæ frigidiſſimæ à ſeminis Craſſamento per exuſione genitæ ad Totjus ſtabilitatem, & ſulchrum. Vniuerſā eorum compagem Græci vocant SCHELETON, ac tres in partes, ideſt in Caput, Truncum, & Artus, atq; has in alias diuidunt communiter Anatomiſtæ.

61 Non ſolum ſanguis venalis animatus non eſt; ſed neq; ſpiritus vitalis. & animalis. Lac inanimatum eſſe cenſemus, ſicut & Semē: quod non viuit actu, ſed ſolum potentia. Probabile etiam eſt, nec Adeps, nec Seuum eſſe animata. Oſſa animata ſunt præter dentes: Medullam ſpinalem Animatam eſſe, probabile eſt; non tamen oſſinm medullam. Pili Capilli, & vnguis animati non ſunt.

DE ANIMA VEGETATIVA.

62 ANIMA immediate concurrit tam effectiuè quā materialiter ad omnes actus vitales: Potentiæ enim nō diſtingūtur realiter ab illa. Suppoſito autem quod Anima Vegetatiua ſit materialis & quod potentiæ diſtinguantur ab anima, tunc tres ſunt aſsignandæ Potentiæ principales, nimirū Nutritiua, Augumētatiua, & Generatiua, & quatuor Subſeruientes, nimirum Attractiua, Retentiua, Concoctiua, & Expulſitiua. NVTRITIO eſt alimenti conuerſio in ſubſtantiam Viuentis, facta per animæ virtutem. Omne Viuens materiale neceſſariò nutriri debet, & ideò datur fames & ſitis, ideſt appetitus calidi, & ſicci; & appetitus frigidi, & humidi. AVGVMENTATIO eſt mutatio, qua viuēs in ampliorem extenditur molem; hæc tamen augumētatiò in animali non ſemper, ſed in florida ſolum fit ętate, in qua naturalis calor eſt vegetior, atque aptior ad concoquendum multum alimenti vltra neceſſariam nutritionem.

63 Datur GENERATIO ſubſtantialis, & rectè dicitur eſſe mutatio Totius in Totum, nullo ſenſibili remanente, vt ſubiecto eodem. Aduertendum tamen eſt, definiri hic generationem ſubſtantialem quatenus eſt quædam conuerſio, & differt à Corruptione formali, quæ eſt mutatio totius in non totum ſub eadē comuni materia. Quando dicitur, Generatio vnius eſt coruptio alterius, intelligendum id eſt de corruptione cauſali tantum. Nam Coruptio, formalis realiter diſtintur à Generatione formaliter, accepta, & iſta eſt natura prior illa in genere Cauſæ Effi-

çien-

cientis. In Generatione Vnius ex Corruptione altèrius non datur resolutio vsque ad materiam primam. Datur tamen concursus actiuus Vtriusque Parentis ad Prolis generationem.

DE ANIMA SENSITIVA.

64 TAmquam certum supponimus Animam sensitiuam non esse spiritualem, neque purum modum; sed esse formam materialem, & diuisibilem. Quamuis plures numerentur Potentiæ sensitiuę internæ, realiter tamen probabilius est esse vnam tantum, nempe SENSVM COMMVNEM, qui quamuis sit vnus numero, multipliciter tamen concipitur, & nuncupatur propter multiplicia munera, quibus fungitur. Dicitur enim sensus communis quia percipit obiecta cæterorum. PHANTASIA. quia retinet rèrum simulacra. AESTIMATIVA, seù Cogitatiua, quia æstimat commoda præter delectabile, seu quia videtur percipere alia obiecta præter sensibilia. MEMORIA denique seu Memoratiua propter retentionem Specierum. &c. APPETITVS, internus, qui est facultas vitalis affectiua, diuiditur communiter in Irascibilem; & Cōcupiscibilem. IRASCIBILIS, qui sequi dicitur Aestimatiuā, odio, & displicentia versatur circa malum seu circa non delectabile. CONCVPISCIBILIS verò qui Phantasiā sequitur, amore, & complacentia circa bonum delectabile versatur. Probabile est sēsum internū residere formaliter in cerebro, & radicaliter in corde.

65 Potentiæ sensitiuæ, externę, seu sensus plures sunt. nempe Visus, Auditus, Gustus, Odoratus; & Tactus VISVS est Potentia vitalis, materialis percipiens solum colorem, & lucem, & loquēdo de OCVLIS, Ipsi, conformantur intus in globum, atque substentantur à duobus Neruis Opticis, seu Visorijs, per quos è cerebro Spiritus animales sensationis ministri ad eosdem oculos deferuntur, & referuntur ad ipsum cerebrum rerum visarum species, & simulacra Septem præterea oculi constant musculis mouētibus, seu motorijs; Quinque tunicis, idest Speculari Reticulari, Vuea, Cornea, & Adnata. Deniq; tribus, humoribus nempè Christallino, seu Glaciali, Vitreo, se Albugineo, & Aqueo AVDITVS, est potentia sensitiua solum percipiens sonum, collocatur post aures, quæ cartilaginosæ, & concauæ sunt nec molles omninò, nec omninò duræ. AVRIS INTERNA est verum organum auditus

in osse

in osse petroso situm habens & quatuor constituta, est meatibus; seu cauitatibus. In primi meatus extremo est membrana tenuis, densa, sicca, atq;pellucida, quæ TYMPANVM nuncupatur: admodum enim tympani pulsatur, & huic pulsationi præter cordam, & musculos tria inseruiunt ossicula. ODORATVS est sẽsus solum percipiens odorem. Quãuis pręter hunc primarium vsum, deferendi scilicet odorum species ad cerebrum habeat etiã organuũ vitæ munera; in seruit enim ad spirituum animalium generationem, & vocis efformationem, quatenus aerem, tum ad pulmones, tum ad cerebrum conducit. Tribus constat ossiculis NASVS, carthilaginibus quinq; musculis quatuor, alis, seu pinnis duabus ad respirandum mobilibus Aliquot item Venis, Artherijs atque Neruis. Interne, autem constat processibus mamillaribus (idest neruis mollioribus) & osse ethomydis, cuius superior pars ad cerebri fere basim sita est, atq;instar cribri perfora ta: Pars vero inferior mollis est ad spongiæ similitudinem. GVSTVS est organum solos percipiens sapores: Residet in lingua, & præcipuè in eius extrema cuspide perfectior est. Eadẽ LINGVA non solum gustatus, sed etiam sermocinatus organum est, eiusq; caro mollis, est rara, & laxa spongiæ instar; mẽbrana tegitur tenuissima, & per eã tria disseminãtur Neruorum paria, Venis duabus, totidemqe artheriis vnico, sed validissimo ligamento, seu funiculo, quem frenulum vocant, ac demum decem componitur musculis, quorum opera sursum, deorsum, & in latera lingua ipsa moueri potest. TACTVS denique licet aliquo modo conueniat cum sensu Gustus quatenus neuter percipit obiectum sine aliqua sui mutatione, Differt tamen ab illo quia tactus percipit omnes qualitates tangibiles, & diffunditur per totum corpus Residet enim hic sensus, in carne neruis, & omnibus illis partibus, quæ neruis affectæ sunt.

66 Dantur SPECIES. obiectorum in ordine ad potentias sensitiuas, & cognoscitiuas: & non sunt eiusdem naturæ cum suis obiectis. Dantur species visiuæ, seu visuales in oculis probabile etiam est dari in Auditu: non tamen in Odoratus, Gustu, atq; Tactu. Dãtur etiam inphantasia SPECIES IMPRESSAE, non tamen immateriales. & spirituales; sicut in intellectu, in quo dantur etiã species obiectorum singularium. Species sensuum externorum, & internorum causantur materialiter ab organo corporeo, non verò ab Anima, in qua recipiuntur solum species impressę intelligibiles, quæ producuntur à sensatione interna, & intellectu Agẽte. In sensibus externis producuntur ab eorum obiectus sensibilibus:

& ab

& ab ijſdem ſenſibus externis ſaltem mediate producuntur in ſenſibus internis.

67 VISIO non ſit ab oculis per Extramiſſionem, ſed per intromiſſionem, ideſt per introſuſceptionem ſpecierum. Obiectum viſus debet eſſe coloratum, & illuminatum LVMEN non eſt ſubſtantia, neque ſpiritualis, neque corporea: requiritur tamen ſimpliciter ex parte obiecti, vt dictum eſt & aliquo modo etiam ex parte medij ſecundum Ariſtotelem dicitur idem Lumen eſſe actũ perſpicui vt perſpicuum, ideſt id, quo medium eſt actu perſpicuũ ſeù illuſtratum; COLOR verò eſt id, quod mouet actù, ſeu mouere poteſt perſpicuum. Obiectum Auditus eſt Sonus qui eſt qualitas producta conſequenter ad motum quo aer corpore duro diuerberatur & cum ipſo motu fluit. VOX dicitur eſſe ſonus, ideſt ictus, ſeu fractio aeris per reſpirationem attracti, qui ab anima in pulmonibus exiſtente quadam cum imaginatione formatur & efficjtur, Ad vocis organum requiruntur primò pulmones aerem recipientes. Secundo Muſculi intercoſtales, qui aerem, compreſſum diuerberant, eumque extrũdunt. Tertiò aſpera Artheria, quæ eſt via aeris ad pulmones. Quarto larynx, ſeu Gargarion, caput artheriæ, quæ claudit illius orificium, & pertingit vſque ad linguæ radices, vbi actemperatur aer &c. Quintò demũ requiritur lingua moderans vocem quæ emittitur ex ore, nè ſcilicet exeat ad modum ſoni indiſtincti. Obiectum odoratus, eſt ODOR, qui non eſt fumoſa exhalatio, ſeu vapor, ſed eſt vna ex ſecundis qualitatibus, quæ oriuntur ex admiſtione primarum qualitatum, & præſertim humidi, & ſicci, itaut prædominetur ſiccitas, ſicut in ſaporibus prædominatur humiditas. Obiectum Guſtus eſt SAPOR qui eſt affectio in humido aqueo facta; à ſicco terréſtri, & calore decoquente. Obiectum denique Tactus ſunt omnes QVALITATES TANGIBILES nempè Calor, & frigus, Durum, & Molle Preter hæc autem dantur SENSIBILIA COMMVNIA, quæ ſi non ab omnibus, ſaltem à pluribus ſenſibus percipiuntur, & ideo appellantur ſenſibilia communia, vt ſunt Motus, Quies, Numerus, Figura, & Magnitudo, & ad iſta reducuntur alia, nempe Aſperum Lene, Rectum, Curuum, Acutum, Obtuſum &c.

DE ANIMA RATIONALI.

68 ANima rationalis est substantia spiritualis seu incorporea, & est immortalis Probabile est, Hominem non viuere prius vita plantæ; deinde sensitiua, & postea rationali. Quod autem in homine non sint plures Animæ realiter distinctæ, certum omnino est sufficit enim Anima rationalis, quia cum ipsa sit virtualiter multiplex, potest prestare omnia illa, quæ prȩstarent plures anime simul vel successiue, informantes. Circa FOETVS animationem non potest assignari determinatum tempus, nam Aristoteles censuit. Marem gigni die quadragesimo, fæminam circa nonagsimum. Medici tamen aliter sentiunt, nam circa trigesimum, aut trigesimum quintum formari dicunt Marem, & circa quadragesimum fæminam.

69 INTELLECTVS est Virtus Spiritualis cognoscitiua. Diuidi primo solet in Apprehensiuũ, Iudicatiuum & Discursiuum. secundo in Practicum & Speculatiuũ Speculatiuus versatur circa cognitionem Veri & falsi absolutè Practicus vero versatur circa cognitionem Veri in ordine ad opus. Tertio diuiditur in Agentem, & Passibilẽ, seu Possibilẽ. INTELECTVS AGENS est Virtus Actiua, seu Productiua specierũ impressarũ, quatenus videlicet inadequatè concurrit ad productionem illarum simul cum Phantasmate seu specie materiali Phantasiæ INELLECTVS verò PASSIBILIS est eadem Virtus cognoscitiua, quatenus patitur, & recipit in se suas intellectiones; & dicitur etiam Possibilis, quia versatur non circa existentiã solum, sed etiam circa Obiecta possibilia. Est pura potentia in genere Intelligibilium, quatenus nullas habet species Impressas sibi ingenitas. Humanus Intellectus existit cum Anima in toto Corpore. Non tamen in toto illo producit intellectionem.

70 MEMORIA etiam datur non solum sensitiua, sed etiam Intellectiua: non tamen distincta ab ipso Intellectu, quia hic sufficienter dicitur Memoria, quatenus retinet species Obiectorum cognitorum: Immò etiam ipsarum Cognitionum, quas habuit, vel dicitur Memoria, prout est Principium repetendi, quȩ semel percipit per speciem priorem. VOLVNTAS, est Appetitus Rrationalis, seu Intellectiuus; sequitur enim ipsa Voluntas, cũ sit potentia cæca, notitiam, & lumen Intellectus, sicut Appetitus sensitiuus sequitur cognitionem sensus Interni. Differũt

huius-

huiuſmodi Appetitus pluſquam numero, non ſolum ex parte obiecti, ſed etiam in ſeipſis: nam ſenſitiuus eſt facultas corporea & materialis. Intellectiuus vero eſt Spiritualis & Incorporeus: & præterea exercet imperium ſupra Ipſum Appetitum ſenſitiuum, ſicut & ſupra reliquas facultates, quæ ad obediendum aptæ ſunt. Voluntas eſt libera tam in actu primo quam in actu Secundo. Nõ poteſt tamẽ amare malũ vt malũ. LIBERTAS igitur in actu primo eſt ipſa Facultas naturalis, quæ, poſitis omnibus requiſitis ad operandũ, poteſt Quis operari: & non operari. Libertas verò in actu Secũdo eſt ipſũ exercitiũ facultatis liberę ſeu Voluntatis Actus voluntatis qui fuit neceſſarius potuiſſet eſſe liber, ſi præfuiſſet aduertentia Rationis & Intellectus. Datur etiam libertas Cõtrarietatis, ſeu quoad ſpecificationẽ, quæ eſt ad actus poſitiuos contrarios v. g. ad Amorem vel ad odiũ & libertas Contradictionis, ſeu quoad exercitium, qua quis abſolutè põt. facere, & non facere amare & non amare &c. Actus Voluntatis eſſentialiter prærequirit aliquem Intellectionis actum. Actus ſimplicis com placentiæ, vel Diſplicentiæ eſt quidam affectus ſimplex, quo benè vel malè afficitur Voluntas circa aliquod obiectum, nihil tamẽ afficiendo ad illud obtinendum: Atque hic ACTVS erit PRIMO PRIMVS, ſi ipſe præcedat vſum rationis. Actus vero Efficax oritur ex ipſo actu Complacentiæ vel Diſplicentiæ, & dicitur efficax quia habet virtutem efficiendi id, quod vult aut ſaltem adhibendi media ad illud.

71 HABITVS, eſt qualitas difficilè mobilis, genita ex actibus & inclinans, ~~ſeu facilitans potentiam ad ſimiles~~ actus faciendos. In nobis non dantur habitus operatiui, qui ſint mere naturales & nõ acquiſiti. Habitus alius eſt naturalis, & alius ſupernaturalis ſiue impreſſus. Alius praticus, & alius ſpeculatiuus. Alius intellectualis, & alius moralis. HABITVS INTELLECTVALIS diuiditur in Intellectum, Scientiam, Sapientiam. Synderesim, Prudentiam, & Artem. MORALIS verò diuiditur in tres Virtutes morales; ſicut enĩ datur triplex Potentia Appetitiua, ſcilicet Volũtas, Cõcupiſcẽtia, & Iraſcibilis, ità datur triplex virtus moralis ad eas moderandas, nimirũ, IVSTITIA, quę reſidet in Voluntate TEMPERANTIA in Appetitu cõcupiſcendi, & FORTITVDO in Appetitu Iræ. Quoniam verò Prudentia, quæ non in Appetitu, Sed in Intellectu reſidet, poteſt eſſe regula prædictarũ triũ Virtutũ, ideò quartus ei locus cõceditur etiã inter virtutes morales. INTELLECTVS, cuius nomine nõ ĩtelligo hic Potẽtiã Intellectiuã,

eſt

est habitus speculatiuus, quo quis inclinat ad assentiendũ firmiter & euidenter primis Principijs. SCIENTIA est habitus speculatiuus, quo quis inclinat ad assentiendum firmiter conclusionibus necessarijs nõ tamẽ per supremas Causas. SAPIENTIA est habitus Speculatiuus inclinans ad assentiendum per causas supremas Conclusionibus necessarijs. SYNDERESIS est habitus practicus, quo quis redditur propensus ad assentiendum primis, & communissimis principijs moralibus. PRVDENTIA est recta ratio Agibilium, idest Actuum Humanorum in nobis immanentium. ARS denique est recta ratio factibilium &c. Habitus causatur efficienter ab Actibus. Subiectum illius, seu Causa materialis debet esse talis vt habeat naturalem potentiam tam actiuam, quam passiuam, ad actus eiusdem habitus. Probabile est, non dari habitum proprie, nisi in Intellectu, Voluntate, & Memoria Intellectiua.

THESES METAPHISYCAE.

72 METAPHYSICA, quę propter suam maximam dignitatem, aliquando absolutè Philosophia; aliquando sapientia, & aliquando Theologia à Philosopho appellatur, est proprijssima, & perfectissima scientia, quamuis non sit vna simplex qualitas. Aliæ scientiæ propriè loquendo, non subalternantur Illi, ad quam non pertinet tribuere obiecta ipsis scientijs secundum propriam abstractionem consideratis, nisi impropriè, quatenus videlicet Metaphysica complectitur omnem rationem entis, & quatenus etiam omnia obiecta aliarum scientiarum per vniuersalissima Ipsius principia probari possunt. Supposito, quod ad scientiam non requiratur necessariò, vt eius obiectum habeat passiones à se realiter distinctas, Obiectum Metaphisicæ potest esse ens, vt ens, prout scilicet est quid commune Deo & Creaturis. Obiectum tamen adęquatum attributionis Metaphysicę, quatenus est rigorosa & perfecta scientia, est substantia cõmunis Corporeæ, & incorporeę.

73 Præter ens reale datur etiam Ens rationis, quod duplex est, Logicum scilicet, & Metaphysicum seu chimericum: Entia rationis logica vocari etiam solent secundæ intentinnes obiectiuæ, quæ non sunt denominationes intrinsecæ à cognitione concepta in re

cognita,

cognita, neque à relatione rationis, vniuersaliter loquendo, sed à sola cognitione tanquam à forma denominante extrinseca, Aliquando tamen huiusmodi secundæ intentiones obiectiuæ non denominantur à sola cognitione extrinseca, sed etiam ab aliqua relatione reali, vel rationis quatenus scilicet aliquæ ex his secundis intentionibus sunt etiam simul relatiuæ, vt esse subiectum, prædicatum &c. Non omnes secundæ intentiones obiectiuæ fiunt per cognitionem directam: Aliquæ enim fiunt per cognitionem directam, & aliæ per reflexam: Omnes tamen cognoscuntur per cognitionem reflexam.

74 Entis rationis nomine (loquendo de ficto seu chimerico) intelligimus id, quod Ita habet esse dependenter à Ratione, seu ab Intellectu, vt contra distinguatur ab omni ente reali. Datur suo modo, scilicet per intellectum, eiusque essentia non cosistit in conceptu mentis, neque in denominationibus extrinsecis desumptis ab actu rationis, idest ab ipsa cognitione extrinseca; sed consistit in esse ficto ad similitudinem entis realis, seu in esse tantum obiectiue in intellectu. Neque visus, neque auditus aut alius sensus externus facere potest ens rationis; Imò neque voluntas neque Phantasia: Intellectus tam humanus, quam Angelicus potest facere ens rationis. De intellectu Diuino nihil prò nunc decernimus; Certum tamen est Deum impossibilia cognoscere, & non entia, seu negationes entium realium.

75 Essentia, & existentia eiusdem rei non distinguuntur realiter, nec modaliter: imò neque formaliter formalitate intrinseca. Gradus Metaphysici nō distinguūtur à parte rei formalirer, & quid quid sit in Diuinis, certè in creatis non datur præcisio obiectiua Vnum ab Ente distinguitur solum per aliquod negatiuū, idest per solam negationem diuisionis. Verum non superaddit Enti, nisi solam negationem falsitatis. Bonum denique sumptum Transcendentaliter, sicut Vnum & Verum, si accipiatur pro eo, quod est in se perfectum essentialiter, idest, cui nihil deest ad suā essentiam, est etiam propietas Entis in distincta tamen ab illo.

76 Subsistentia creata, cuius nomine intelligitur vltimus terminus Naturæ, seu id per quod natura redditur terminata in se, & incommunicabilis alteri, non distinguitur, nisi modaliter, seu tāquam modus à re, ab ipsa natura. Generans naturam est causa productiua subsistentiæ illius, & hæc subsistentia, quamuis non sit principium operationum eiusdem naturæ, ita vt influat in illas

est

eſt tamen conditio præ requiſita ad operandum exparte principij. Quod autem attinet ad ſubiectum ſubſiſtentiæ: Materia, & forma non habent proprias ſubſiſtentias; Partes verò integrales, probabile eſt, ſubſiſtere per partiales ſubſiſtentias. Probabile etiã eſt, Naturam ſubſiſtentem per propriam ſubſiſtentiam, poſſe etiam miraculoſe ſubſiſtere ſimul per alienam. ſubſiſtentia eſt idem ac Hypoſtaſis, Perſona & ſuppſiotum. Perſona tamen differt ab illis ratione ſubiecti, quia Perſona ſignificat ſubſiſtentiam ſolius Nature Intellectualis.

LAVS DEO